

conjugatis semel in mense, nisi religio obstaret. Videtur tamen autor dictus justo liberalior erga conjugatos, præprimis non optimè nutritos. Sæpius citatus *D. D. Rolfinius Method. de c. v. lib. 14. sect. 7.* rectius prudentia ait congressus moderandos esse, eoque allaborandum, ne vires capiant detrimentum. Addi potest, ne forma externa patiatur jacturam. Canities, calvities, coloris deformitas vulgo Veneris nimia sunt pedisequæ.

SECTIO V.

CAPUT unciū

Ἐπιέχοντα breviter examinat.

Hulcaër ambiens, balnea atque vestitus spectant. DE aère superius, & quibus ibi qualitatibus agit, iisdem agit & hic loci, notatâ saltem differentiâ, quod ibi inspirando; hic verò ambiendo.

Balnea non sunt promiscuè usurpanda. Iis, qui gracilioris naturæ sunt, ac plus de salino ac fræo participant principio, quàm de reliquis, *Jonstonus* præcipit aquæ tepidæ balneum. Hoc mordacitatem ac humorum acrimoniam temperat, munditiemque procurat.

Frigida contrà aqua poros constringit, nec quicquam effluere sinit. Calorem ac Spiritus ad interiora repellit, quemadmodum videmus tempore hyberno vinum dolio inclusum circa latera dolii congelatum, in medio verò vinum contineri spirituosissimum. Ex hypothesi hac videtur balneum aquæ frigidæ internarum partium obstructionib9 convenire, si conjunctum sit cum agitatione membrorum. Vires ac subtiliores particulae frigiditatem aquæ in balneo frigido fugientes petunt interiora, unitæ hinc fortiores

E sunt,